Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Inde relinquitur ut si dominus ihesus hac oratione pro suis omnibus quicumque in hac uita que temptatio est super terram uel tunc erant uel futuri erant orasse credendus est. sic intelligamus quod dictum est per uerbum eorum. ut ipsum uerbum fidei quod predicauerunt in mundo hic significatum esse credamus. dictum autem esse uerbum eorum. quod ab ipsis est primitus ac precipue predicatum. Iam enim ab ipsis predicabatur in terra. quando per reuelationem ihesu christi ipsum uerbum eorum paulus accepit. Unde et contulit cum eis euangelium. ne forte in uacuum cucurrisset. aut curreret. et dexteras ei dederunt. quia et in illo quod non per eos illi datum tamen uerbum suum quod iam predicabant et in quo fundati fuerant inuenerunt. De quo uerbo resurrectionis christi idem dicit apostolus. Siue ego. siue illi. sic predicamus. et sic credidistis. Et item. hoc est inquit uerbum fidei quod predicamus. quia si confessus fueris in corde tuo quia dominus est ihesus et credideris in corde tuo quia deus illum suscitauit a mortuis. saluus eris. Et in actibus apostolorum legitur quod in christo deus finierit fidem omnibus. suscitans eum a mortuis. Hoc fidei uerbum quia principaliter ac primitus per apostolos qui ei coheserant predicatum est. ideo uerbum eorum dictum est. Neque enim propterea non est uerbum dei quia dictum est uerbum eorum. cum dicat idem apostolus thesalonicenses excepisse a se non ut uerbum hominum sed sicut est inquit uere uerbum dei. Ideo quidem dei. quia deus id donauit. Eorum uero uerbum dictum est. quia hoc predicandum illis deus primitus ac precipue commendauit. ac per hoc et ille latro in fide sua uerbum eorum habebat. Quod eorum propterea dictum erat. quoniam predicandum ad eorum officium primitus ac precipue pertinebat. Denique cum murmur factum esset de ministratione mensarum uiduis grecorum. ante quam paulus credidisset in christum. responderunt apostoli qui ante dominum coheserant. Non est bonum nos relinquere uerbum dei. et ministrare mensis. Tunc ordinandos diacones prouiderunt. ne ipsi predicandi uerbi auocarentur officio. Unde merito dictum est uerbum eorum. quod est uerbum fidei. per quod omnes in christum undecumque id audierint. crediderunt. uel audituri et credituri sunt. Pro illa oratione pro omnibus quos redemit. siue tunc in carne uiuentes. siue postea futuros redemptor noster orauit. cum rogans pro apostolis qui cum illo tunc erant. adiunxit et illos qui per eorum uerbum in eum fuerant credituri. Quod autem adiunctis illis deinde dicat. alia disputatione tractandum est.

Explicit omelia .c. Incipit omelia

De eo quod dicit. ut omnes unum sint. .c.i. sicut tu pater in me et ego in te. usque ad id. et dilexisti eos sicut et me dilexisti.

Cum dominus ihesus orasset pro discipulis suis quos tunc secum habebat. atque adiunxisset et alios suos dicens. non pro his autem rogo tantum. sed et pro eis qui credituri sunt per uerbum eorum in me. uelut quereremus quid uel que pro eis rogaret. continuo subintulit dicens. ut omnes unum sint sicut tu pater in me et ego in te. ut et ipsi in